Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25953
Copyright: Admont, Benediktinerstift

54

culo ad uite premia penitendo peruenit. Alius auaricie
estibus anhelans aliena diripuit; aspiciat zacheum qui si quid
alicui abstulit quadruplum reddidit. Alius libidinis igne
succensus carnis munditiam perdidit; aspiciat mariam que
in se amorem carnis igne diuini amoris excoxit. Ecce om
nipotens deus ubique oculis nostris quos imitari debeamus obicit.
ubique exempla sue misericordie opponit. Mala ergo iam displice-
ant uel experta; libenter obliuiscitur omnipotens deus quod nocentes
fuimus; paratus est penitentiam nostram nobis ad innocentiam
deputare. Inquinati post aquas salutis renascamur lacri-
mis. Itaque iuxta primi pastoris uocem sicut modo geniti in-
fantes lac concupiscite. redite paruuli filii ad sinum
matris uestre eterne sapientie. sugite larga ubera pietatis
dei. transacta plangite imminentia uitate. redemptor
noster momentaneos fletus uestros eterno consolabitur gau-
dio. qui uiuit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per
omnia secula seculorum amen. SECUNDUM IOHANNEM.

IN ILLO TEMPORE. Cum sero esset die illo una sabbatorum et fores
essent clause ubi erant discipuli congregati propter metum iu-
deorum. uenit ihesus et stetit in medio eorum. et dicit eis. Pax uo-
bis. Et reliqua. GREGORII PAPE.

Prima lectionis huius euangelice questio animum pulsat.
quomodo post resurrectionem corpus dominicum uerum fuit. quod clausis
ianuis ad discipulos ingredi potuit. Sed sciendum nobis est quod diui-
na operatio si ratione comprehenditur non est admirabilis.
nec fides habet meritum cui humana ratio prebet experimentum.